

neratio. Etenim generatio ceteris operationibus vitalibus natura sua antecellit, quia maxima perfectio entis est posse aliud sibi simile producere¹, et insuper, cum vivens nequeat sibi simile gignere, nisi nutriatur, et augetur, generatio est ultima operatio, cui aliae duae deserviunt, ac proinde ipsas quodam modo in se complectitur. Quare nos a Georgio Cuvierio dissentimus, qui vitam ex nutritione definivit². Certe nutritio est prima operatio, quae in vivente apparet. At exinde illud dumtaxat consequitur, vitam a nobis nutritioni attribui, non vero ex nutritione notionem vitae tradendam esse; siquidem nutritio, cum sit operatio vitalis ceteris imperfectior, nullam harum complectitur.

ART. III. *Investigatur, utrum operationes vitales in homine sint rationales, an naturales*

37. Hic veluti exploratum, certumque sumentes illud, quod a libi demonstrabimus, nempe principium, a quo operationes vitales oriuntur, esse animam, atque in homine huiusmodi principium esse eandem animam rationalem, investigamus utrum, nec ne admitti possit Perraultii³, Sthalii⁴, aliorumque sententiam, qui Scaligeri⁵ vestigiis insistentes, animam rationalem per rationem, et voluntatem cunctas operationes vitales corporis producere opinati sunt.

38. Prop. *Operationes vitales hominis non sunt rationales, sed naturales, hoc est, similes operationibus rerum omnis cognitionis expertium.*

Probatur. Etsi, ut suo loco videbimus, anima, quae informat corpus humanum, sit rationalis, tamen non largitur corpori esse suum, prout est rationalis⁶, sed esse naturae vegetantis, quam in se continet. Atqui operationes, quas anima in corpore edit, consentaneae esse debent naturae *τὸν esse*, quod ipsa anima corpori largitur. Ergo illae operationes debent esse tales, quales sunt operationes vegetabilium, ac proinde similes operationibus rerum omnis cognitionis expertium⁷.

¹ I, q. LXXVIII, a. 2 c. — ² *Le regne animal*, Introd.

³ *Essai de physique, Des sens extérieurs*, vol. IV.

⁴ *Theor. medica vera, Physiol.*, sect. VI.

⁵ *Exoticarum exercitationum liber de subtilitate ad Hieron. Cardanum*, Exercit. 307, n. 3. — ⁶ *Qq. dispp.*, q. un. *De An.*, a. 9 ad 11.

⁷ *Op. cit.*, ibid. ad 6. Hoc certe sibi voluit s. Basilius, cum dixit ani-

39. Idem argumentum ita etiam exhiberi potest: Homo per animam rationalem, quae est eius forma substantialis, *habet esse substantialiter, per virtutem animae, quae consequitur formam substantialem, operatur*¹; quocirca operationes vitales corporis rationales forent, si anima rationalis vim suam intelligendi cum corpore communicaret. Atqui anima non communicat vim suam intelligendi cum corpore. Ergo operationes vitales non sunt rationales.

40. Obiic. Omnes operationes animae sunt cogitationes. Ergo operationes vitales, cum sint operationes animae, cogitationes sunt, ac proinde cum ratione fiunt.

41. Resp., *neg. ant.* Re quidem vera, nomen cogitationis, quoad latissime sumatur, non alias operationes animae significare potest, quam quae circa cognitionem versantur²; operationes autem vitales ad cognitionem nullo modo spectant.

CAPVT. III.

De facultate sentiendi

ART. I. *Quaedam notiones praestituuntur*

42. Facultas sentiendi illa est, per quam anima unita corpori res materiales, quatenus materiales sunt, percipit. Haec facultas complectitur *sensus externos*, et *internos*. Externi, quorum actus *sensatio* nuncupatur, ex eo nomen sumunt, quod versantur circa res exteriores, hoc est, circa res, quae ipsis extrinsecus obiciuntur. Sensus autem interni hoc nomine donantur, quia spectant res sensiles, quae animam per sensus exteriores ingressae sunt.

43. Iam sensus utriusque generis non in anima sola, sed in anima simul, et corpore existunt, ac proinde ad actiones suas exercendas indigent quibusdam partibus corporis peculiari quadam structura donatis. Hae partes *organa*, nempe instrumenta dicta sunt, quia inserviunt animae ad actiones sensiles exercendas. Organa sensuum interiorum in internis partibus corporis, et organa exteriorum in diversis partibus superficiei illius resident. Sensuum autem exteriorum organum, quod odoratui in-

mam corpori vitam impertiri *supte natura*, non vero voluntate; *Constitutiones Monasticae*, c. 2, n. 2.

¹ I, q. LXXVII, a. 1 ad 3.

² Cf s. Thom., 2^a 2^{ae}, q. CLXXX, a. 3 ad 1.

servit, *nares*, quod gustatui, *lingua*, quod auditui, *aures*, quod visioni, *oculi*, quod tactui, *manus* nuncupantur ¹.

ART. II. De obiecto sensibilitatis

44. Prop. 1^a. *Obiectum sensibilitatis non aliud est, nisi id, quod est corporeum.*

Probatur. « Potentia cognoscitiva, ut s. Thomas monuit, proportionatur cognoscibili ² », ita ut si potentia per organa corporea exercetur, id, quod cognoscitur, non nisi corporeum esse possit. Atqui facultas sentiendi non nisi per organa corporea exercetur; omnes enim experimur nos nihil unquam sentire, nisi ope alicuius organi, ita ut, si quod organum corpori desit, aut vitio aliquo laboret, anima sensationibus, quae per illud organum fiunt, vel omnino careat, vel perperam afficiatur. Ergo obiectum sensibilitatis est aliquid corporeum.

45. Prop. 2^a. *Anima per sensus una cum qualitatibus sensilibus etiam substantiam percipit.*

Haec propositio demonstratur contra Reidium, Rosminium, Giobertium, aliosque, qui docuerunt animam per sensus percipere dumtaxat qualitates sensiles, e. g., *colorem, saporem, odorem* etc., non vero ipsam substantiam corporum.

46. *Probatur.* Nos per sensus percipimus qualitates non in universum, sed determinatas, et concretas. E. g., nos non percipimus colorem in universum spectatum, sed determinatum, hoc est, aliquid *coloratum*, e. g., album, aut nigrum. Atqui qualitates non sunt concretas, et determinatae, nisi prout huic, vel illi subiecto inhaerent. Ergo nos non solum qualitates sensiles, sed etiam subiectum, cui inhaerent, hoc est, substantiam sentire pro certo habendum est.

47. Illud autem concedendum est, quod substantia, cui qualitates sensiles inhaerent, *confuse*, non vero *distincte* per sensus percipitur, quia illa ad sensus non nisi *per accidens* refertur.

48. Ut id facile intelligatur, explicanda nobis sunt diversa sensilium genera. Haec sunt *propria, communia*, et *per accidens*. Sensilia propria sunt qualitates, quae ad sensus referuntur eo

¹ Manus proprie est organum tactus *activi*, tota autem pellis est organum tactus *passivi*. Cf Debreyne, *Physiolog.*, c. 1, § 5.

² I, q. LXXXIV, a. 7 c.

quod ipsae determinant sensum ad sentiendum. Haec dicuntur sensilia *per se*, et *primo*, quia reducunt sensus ad actus suos. Sensilia *per accidens* sunt, quae per se nihil agunt in sensus, sed ab ipso apprehenduntur ex eo quod cum sensilibus propriis coniunguntur. E. g., in lacte albedo est sensibile *proprium* visus, quia visus ex ipsa albedine ad eius visionem determinatur; dulcedo autem est sensibile *per accidens* ipsius visus, quia refertur ad visum ex eo quod cum albedine in eodem lacte coniungitur. Item, substantia corporum est sensibile *per accidens* cuiuscumque sensus, quia refertur ad sensus ex eo quod est subiectum sensilium propriorum. Denique sensilia *communia* sunt, quae *per se, sed non primo* agunt in sensus. *Per se*, quatenus actiones sensilium propriorum quibusdam modis afficiunt, sive, ut aiunt, *modificant*. Non autem *primo*, quia nihil in sensus seorsum a sensilibus propriis agunt ¹. Haec sensilia sunt qualitates, quae ex quantitate existunt, e. g., *magnitudo, figura, motus*. Sane huiusmodi qualitates, etsi non agant in sensus seorsum a sensilibus propriis, tamen ad producendam sensationem aliquid agunt, quia *modificant* ipsam actionem sensilium propriorum. E. g., oculos aliter a magna mole nivis, aliter a parva afficitur. Iam sensus sensilia *propria* et *communia* distincte cognoscit, sensilia autem *per accidens* confuse, quia illa per se sentit, haec autem ex eo solum, quod cum illis coniunguntur.

ART. III. De numero sensuum externorum

49. Lockius dubitavit an praeter *aspectum, auditum, gustum, odoratum*, et *tactum* alii sensus in homine lateant ². Hodierni fautores magnetismi animalis contendunt animam in somno magnetico sensationes, ac alias actiones cognoscentes exercere, quae ad nullas iam compertas facultates revocari possunt ³. Denique Balmesius ⁴, aliique docent fieri posse, ut homo novum sensum temporis progressu adquirat.

¹ Cf s. Aug., *De lib. arb.*, lib. II, c. 3, et s. Thom., I, q. LXXVIII, a. 3 ad 2. — ² *De int. hum.*, lib. II, c. 2, § 3.

³ Hoc systema nomen *magnetismi animalis* habet, quia pro certo sumit in corpore esse quoddam fluidum, per quod systema nerveum omnes suas functiones exercet, quodque ex voluntatis arbitrio ab uno homine in alium transmittitur. Fautores huius systematis *Mesmeristae* dicti sunt a Mesmero, qui in recenti aetate primus instaurator eius perhibetur.

⁴ *Filos. fundam.*, lib. II, c. 17.

50. Prop. 1^a. *Sensus externi non sunt nisi quinque, nempe aspectus, auditus, gustus, odoratus, et tactus.*

Probatur. Facultates, quae ad sensibilitatem externam spectant, tot esse debent, quot sunt specificè diversae actiones, quae per illam exercentur, et actiones sentientes specificè diversae sunt, prout specificè diversa sunt obiecta, ad quae referuntur¹. Patet autem haec obiecta, ex quibus diversitas actionum sentientium producit, esse sensilia propria, quia haec, ut diximus, sensus ad actum reducunt. Hoc praestituto, en argumentum. Tot sint oportet facultates sentientes, quot sunt sensilia propria. Atqui haec quinque sunt, nempe *colores, sapes, soni, odores, et qualitates tactiles*, quia res externae, quemadmodum experientia nobis compertum est, quinque dumtaxat modis specie diversis animum nostrum afficiunt, nempe *videndo, audiendo, gustando, olfaciendo, et tangendo*. Ergo quinque sunt sensus externi, nempe *aspectus, auditus, gustus, odoratus, et tactus*.

51. Prop. 2^a. *Dubitatio Lockii futilis est.*

Probatur. Sensus destinatur ad cognoscendum qualitates sensibiles rerum, ac proinde, si plures enumeratis sensibus haberemus, aliae qualitates sensibiles, praeter sonos, sapes, odores, qualitates visibiles, et tangibiles, percipiendae nobis essent in corporibus. Atqui ipsemet Lockius fatetur corpora non nisi per illas quinque qualitatum species nobis innotescere. Ergo omnino certum est nullum alium sensum, praeter quinque enumeratos, homini inesse.

52. Prop. 3^a. *Sententia fautorum magnetismi animalis absurda est.*

Probatur. Facultates, quas fautores magnetismi animalis comminiscuntur, non exercentur, ut ipsi aiunt, in statu naturali hominis, sed in statu insolito, et ex lege. Atqui absurdum est asserere hominem naturaliter facultatibus praeditum esse, easque non nisi in statu insueto exercere posse. Ergo sententia fautorum magnetismi animalis absurda est. Id amplius ex eo declaratur, quod status insuetus animae, vel corporis potest tantum efficere, ut actiones facultatum vel exacuuntur, vel remittantur, neutiquam vero, ut novae facultates naturales exerceantur. Quo-

¹ Cf p. 100.

circa, si homo illis facultatibus, quas ipsi contendunt, polleret, ipsae ab eo in statu sibi naturali exercendae forent.

53. Prop. 4^a. *Homo nullum novum sensum acquirere potest.*

Probatur. Homo, prout in praesentia est, tenet infimum locum inter naturas intellectuales, et supremum inter naturas sentientes¹, ita ut ipse, aiente s. Thoma², huiusmodi naturae est, ut *completissime virtutem sensitivam* habeat. Atqui si homo novum sensum acquirere potest, ipse, prout in praesentia est, supremum locum inter naturas sentientes habere dicendus non esset. Ergo ipse nullum novum sensum acquirere potest. Ex qua argumentatione illud quoque patet, quod si homini novus sensus adveniret, eius natura mutaretur; ast id fieri non potest, quia, ut alibi demonstrabitur, naturae, sive essentiae rerum sunt immutabiles.

ART. IV. *De modo, quo actus sentiendi, sive cognitio sensitiva efficitur*

54. Prop. 1^a. *Non potest sensatio haberi sine organo proprio speciali.*

Probatur. 1^o Obiecta sensilia sunt corpora. Atqui corpora nequeunt afficere animam, nisi per corpus, quod illa coniunctum sibi habet. Ergo ut habeatur sensatio, organum corporeum expostulatur. 2^o Organa sensoria diversam habent structuram, ut animae inserviant ad diversas excipiendas sensationes. Ergo necesse est cuique sensationum speciei proprium organum speciale esse³.

¹ Cf s. Thom., *In lib. II Sent.*, Dist. XVIII, q. II, a. 3 ad 4.

² I, q. LXXVI, a. 3 c. Vid. *ibid.*, q. XCI, a. 3 ad 1; *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. III, a. 11 c., et *In lib. II Sent.*, Dist. XVII, q. III, sol. 2 ad 1.

³ Ex hoc facile perspicitur abnormem esse sententiam fautorum magnetismi animalis, qui pertendunt in somno magnetico animum videre non per oculos, sed per alias partes corporis, vel quia novam facultatem latentem in se evolvit, quae sine ullius organi corporei ope videt, vel quia vis videndi in aliam corporis partem transfertur. Sane primum absurdum esse patet tum ex eo quod, ut iam demonstravimus, facultates latente in anima esse nequeunt, tum ex eo quod repugnat animam videre per alias partes corporis, quin hae quidpiam ad visionem conferant. Quod autem ad alterum spectat, si vis videndi in aliam partem corporis transferretur, haec pars structuram oculorum acquireret. Ast id observationi repugnat. Nam observatio patefacit, cum vim videndi ab oculis aliam partem corporis Mesmeristae transferri dicunt, partium structuram

55. Prop. 2°. *Cognitio sensibilis fit per species, sive imagines repræsentativas rerum sensibilium.*

Probatur contra Reidium 1, et *Re* omnes recentes philosophos. *Cognitio est actio immanens, sive actio, quæ terminum habet in ipso subiecto cognoscente, quia perficit non obiectum, quod cognoscitur, sed subiectum, quod cognoscit. Ex quo consequitur cognitionem haberi non posse, nisi obiectum cognitum cum facultate cognoscente quodammodo coniungatur* 2. Atqui obiectum sensibile non potest coniungi cum sensu, nisi per suam speciem, sive similitudinem. Ergo cognitio sensitiva fit per species rerum sensibilium.

56. *Minor demonstratur hunc in modum: Obiectum sensibile, ut cum facultate sentiente coniungatur, atque ita notitiam sui in animo gignat, debet in ipsam facultatem sentientem, sive in ipsam animam ingredi. Hoc posito, obiectum vel per seipsum, hoc est, per eadem principia, ex quibus constituitur, animam ingredi dicitur, vel per sui speciem, sive similitudinem. Atqui obiectum non potest per seipsum ingredi in animam, alioquin unum, idemque cum hæc fieret; id, quod proprium pantheistarum commentum est. Restat igitur, ut per speciem, seu similitudinem sui in animam ingrediatur* 3.

57. Prop. 3°. *Species efficiuntur ab ipsis obiectis, non tamen ex eo quod aliquid substantiale, vel accidentale a corporibus distractitur, sed ex actione obiectorum sensibilium in animam.*

Probatur. 1° Species ab ipsis obiectis efficiuntur. Etenim experientia nobis testatur obiectum ipsum, quod sentimus, e. g., solem, esse simul causam cognitionis sensibilis. Si ergo cognitio sensitiva non fit nisi per speciem obiecti sensibilis, hoc ad illius productionem tamquam causa concurrere debet 4.

minime mutari; et ratio evincit hanc mutationem non posse fieri, quia illa structura ad naturam corporis humani, dum corpus humanum est, pertinet, natura autem corporis humani mutari non potest. Multa egregia de hac re videre licet in libro, *Sulla causa de' fenomeni mesmerici*, Bergamo 1856.

1 *Recherches sur l'entend. hum.*, c. 2.

2 «Cognitio contingit secundum quod cognitum est in cognoscente»; I, q. XII, a. 4 c. Cf s. Aug., *Soliloq.*, lib. I, c. 6.

3 Cf s. Bonav., *In lib. IV Sent.*, Dist. XLIX, p. 2, a. 3, q. I *resol.*, et *De reduct. art. ad Theol.*

4 «Sensus, ait s. Augustinus, accipit speciem ab eo corpore, quod sentitur»; *De Trin.*, lib. XI, c. 8.

2° Nihil substantiale a corporibus avulsum in animam illabi potest. Et sane, anima est incorporea. Atqui fieri non potest, alienate s. Augustino, « ut incorporeus animus adventu, atque contactu corporearum imaginum cogitet 1 ». Ergo.

3° Neque aliquid accidentale a corporibus distractum in animam ingredi potest. Revera si id fieret, accidens in actu migrationis sine subiecto, ac proinde per se existeret. Atqui accidens per se existere nequit. Ergo.

4° Quod si species non est aliquid neque substantiale, neque accidentale, quod ab obiecto distractum in animam ingreditur, restat ut obiectum actione sua illam in animam producat. Et sane, sensus est intrinsecus indifferens ad percipiendum hoc, aut illud obiectum, ac proinde aliquo principio intrinseco indiget, a quo determinetur ad percipiendum hoc, et non aliud obiectum. Iam hoc principium intrinsecum non potest esse res, quatenus extrinsecus sensui obicitur. Ergo satis non est praesentia obiecti, ut sensus illud assequatur, sed necesse est ut obiectum facultatem sentientem ad actum determinet. Atqui res extrinsecus obiecta non potest determinare sensum ad actum, nisi quidquam in illum agat. Ergo res obiecta aliquid in sensum agat necesse est, id est, producat in eo speciem.

58. Prop. 4°. *Ut cognitio sensitiva alicuius rei efficiatur, praeter actionem, qua obiectum exterius speciem suam in sensum immittit, requiritur: 1° ut sensus suscipiendo in se speciem in obiectum reagat; 2° ut vim suam convertat in rem a specie repræsentatam.*

Probatur 1° pars. Susceptio speciei est quidam vitalis actus sensus. Atqui actus vitalis non nisi earum rerum proprius est, quæ seipsas movent ad agendum 2, et nihil potest seipsam movere, nisi quidquam agat. Ergo sensus, suscipiendo in se speciem, debet, ut Scotus inquit, *coagere* cum obiecto 3. Haec operatio vocari solet *sensatio*.

Probatur 2° pars. Obiectum, quod per sensus percipitur, non est species, sed res, cuius species similitudo est: nempe species non est terminus, in quem cognitio fertur, sed dumtaxat principium, ex quo sensus determinatur ad percipiendam rem ab ip-

1 *Epist. CXVIII*, c. 3.

2 Cf p. 95. — 3 *In lib. I Sent.*, Dist. III, q. 7, n. 36.

sa specie repraesentatam¹. Ergo satis non est, ut sensus suscipiat speciem ab obiecto in organo impressam, sed opus illi est, ut per speciem susceptam *intenda* vim suam in ipsam rem a specie repraesentatam, ad eamque *convertatur*². Haec alia operatio vocari solet *perceptio*.

59. Illud hic praestat adnotare contra Reidium³, necessariam esse connexionem inter actionem rei externae in organum, et sensationem; nam sensus in sensatione, ut diximus, *coagil* cum obiecto, idest, sensus, suscipiendo in se speciem, se constituit terminum illius actionis, quam obiectum in organo producit. Quapropter impressio, quam obiectum efficit in organo, et sensatio adeo connexae inter se sunt, ut unam operationem constituent, quae proficiscitur ab obiecto, et desinit in sensu. Item necessaria est connexio inter sensationem et perceptionem. Etenim sensatio, sive susceptio speciei est causa, ex qua sensus determinatur ad rem percipiendam; quapropter perceptio est veluti effectus sensationis. Atqui inter causam, et effectum connexionis vinculum intercedit. Ergo inter sensationem, et perceptionem connexio existere debet.

60. Ex propositionibus, quas demonstravimus, duo corollaria consequuntur. Primum est, quod cognitio sensitiva ab anima sentiente, et ab obiecto sensibili simul fit. « Visio corporalis, inquit s. Thomas, non procedit tantum a specie exterioris corporis, sed simul cum hoc a sensu videntis⁴ ». Et alibi: « Ipsa visio secundum rei veritatem non est passio corporalis, sed principalis eius causa est virtus videntis⁵ ».

61. Alterum est, quod omnis sensatio, sive perceptio sensitiva ipsa per se obiectum suum patefacit, sive, ut aiunt, est *obiectiva*. Enimvero, anima in sensatione refertur ad obiectum, tamquam patiens ad agens, quia sensatio est operatio passiva, cuius terminus est suscipere actionem rei externae productam in organo sensorio. Atqui omne patiens necessario refertur ad agens. Ergo sensatio necessario refertur ad obiectum, ideoque omnis

¹ Hinc Scholastici docebant speciem esse obiectum quo, non obiectum quod cognitionis. — ² *Recherches sur l'entend. hum.*, c. 2, passim.

³ Cf s. Aug., *De Trin.*, lib. XI, c. 2, et s. Thom., *Quodlib.* VII, q. 1, a. 2 ad 1. — ⁴ I, q. XCIII, a. 6 ad 4.

⁵ *De ente, et essentia*, lib. I, c. 7.

sensatio est obiectiva. Quod si omnis sensatio est obiectiva, liquet obiectivam etiam esse omnem perceptionem, quia perceptio in eo consistit, quod sensus vim suam intendit in ipsum obiectum sensationis.

ART. V. Quaedam circa species sensiles adnotantur

62. Circa species, per quas res sensiles percipimus, haec adnotanda sunt:

1° Species, sive forma rei sensibilis aliter est in ipsa re, aliter in anima, siquidem in re est *entitative*, idest *secundum suum esse reale*, in anima autem *intentionaliter*, idest, *secundum esse repraesentativum*. « Forma, ait s. Thomas, qua lapis est, non est in anima, sed similitudo eius¹ ».

2° Species sensiles sunt immateriales. Et sane, species, per quam anima aliquid sentit, in ipsa anima efficitur; nempe ab ipsa anima est excipienda, ut possit per eam cum obiecto sensibili coniungi. Atqui quidquid in anima producit, eiusdem, ac anima, naturae esse oportet². Ergo si anima est immaterialis, species sensibiles etiam immateriales sint oportet³.

3° Etsi anima per species apprehendat res sensiles, tamen eas immediate, seu in seipsis apprehendit⁴. Et sane res *in seipsa*, seu *immediate* apprehenditur, si per speciem ipsi propriam cognoscatur, sicut cum oculus videt hominem per speciem hominis; in alio autem, vel *mediate*, si per speciem alterius in illius notitiam deveniatur, sicut cum homo videtur in speculo per speciem speculi, vel cum homo cognoscitur in sua imagine⁵. Atqui species sensiles sunt species propriae rerum, quia, ut iam demonstratum est, ab ipsis rebus in anima efficiuntur. Ergo etsi res sensiles per earum species percipimus, tamen eas in seipsis percipimus. Exinde magis illud confirmatur, quod antea ostendimus, nempe omnem sensationem esse *obiectivam*, in hoc enim natura obiectiva perceptionis sita est, quod obiectum sensibile in seipso immediate percipitur.

¹ *Q. disp.*, *De Ver.*, q. VIII, a. 11 ad 4.

² Cf s. Thom. I, q. LXXV, a. 5 c.

³ Cf s. Aug., *De Trin.*, lib. XI, c. 2; s. Thom., *Quodlib.* VIII, q. 11, a. 3 c., et s. Bonav., *In lib. I Sent.*, Dist. XXXVI, a. 11, q. II ad arg.

⁴ Cf B. Alb. M., *In Eth.*, tract. II, c. 18.

⁵ S. Thom., I, q. XII, a. 9 c., et q. XIV, a. 5 c.

ART. VI. *Obiectiones contra specierum theoriam dissolvuntur*

63. Obiic. contra secundam propositionem. Species, utpote immateriales, nullam analogiam habent cum rebus sensilibus, quae sunt materiales. Ergo nequeunt res sensiles percipi per earum species.

64. Resp., *Dist. ant.*, species non habent cum rebus analogiam secundum naturam, *conc. ant.*, non habent analogiam secundum repraesentationem, *neg. ant. Neg. cons.* Et sane, ut aliquid repraesentet aliud, non requiritur convenientia inter ea secundum naturam, sed sufficit convenientia secundum repraesentationem. E. g., statua Herculis Herculem optime repraesentat, etsi forma Herculis non habeat tale esse in statua, quale esse habet in carnis et ossibus¹. Iam, etsi species immateriales nullam habeant convenientiam secundum naturam cum rebus sensilibus, tamen habent cum eis convenientiam secundum repraesentationem², quia nihil prohibet quominus aliquid incorporeum contineat in se repraesentative illud ipsum, quod in re corporea est realiter. Igitur per species incorporeas possunt res corporeae a nobis percipi.

65. Inst. *Simile simili cognoscitur*. Ergo per species incorporeas res corporeae percipi non possunt.

66. Resp., *Dist. ant.*, ita ut medium cognitionis similitudinem naturae habeat cum subiecto cognoscente, *conc. ant.*, cum ipso obiecto cognito, *neg. ant. Neg. cons.* Et sane, cum cognitio sit affectio subiecti cognoscentis, non vero obiecti cogniti, medium, quo aliquid cognoscitur, simile sit oportet non iam obiecto, quod cognoscitur, sed subiecto cognoscenti. Quocirca, cum anima sit immaterialis, non nisi per species immateriales potest res corporeas cognoscere. Illud igitur effatum, *simile simili cognoscitur*, quatenus ad rem praesentem pertinet, si vero sensu accipiat, specierum theoriam potius adstruit, quam impugnat.

67. Obiic. contra tertiam propositionem. Fieri nequit, ut corpus in spiritum aliquid agat, et spiritus a corpore patiatur. Ergo fieri nequit, ut obiectum sensibile speciem suam in sensu imprimat, eamque sensus excipiat.

68. Resp., *Dist. ant.*, si spiritus sit purus, sive corporis ex-

¹ *Qq. disp.*, *De Ver.*, q. X, a. 4 ad 4. — ² *Ibid.*, q. VIII, a. 9 ad 3.

pers, *conc. ant.*, sin cum corpore naturaliter coniungatur, *neg. ant. Neg. cons.* Et sane, ultro concedimus neque corpora posse aliquid directe, et immediate in spiritum agere, neque idcirco spiritum posse directe, et immediate quidquam a corpore pati. At vero obiectum sensibile non agit quidquam directe, et immediate in animam, sed in organa corporis, et quoniam haec animata sunt, inde fit, ut anima per corpus, et cum corpore, quod informat, aliquid ab obiecto sensibili patiatur.

69. Inst. Corpus est materiale. Ergo nequit producere in sensu speciem immaterialem.

70. Resp., *Dist. cons.*, in sensu, quatenus est organum corporeum, *conc. cons.*, quatenus virtute animae informatur, *neg. cons.* Responsio patet ex dictis. Etenim organum sensorium, prout corporeum est, actionem rei corporeae excipit; prout autem virtute animae informatur, excipit actionem illam modo consentaneo naturae animae, nempe immaterialiter.

ART. VII. *De sensu communi*

71. Nomine *sensus communis* a Scholasticis designatur illa facultas, qua anima cognoscit existentiam sensationum, quae habentur per sensus externos, earumque differentias.

72. Prop. *Sensus communis est facultas sentiens.*

Probatur. Natura cuiusque facultatis ex natura obiecti, circa quod versatur, dignoscenda est. Atqui sensationes, earumque differentiae, quae per sensum communem apprehenduntur, in diversis immutationibus sensuum consistunt, ac proinde sunt quaedam facta sensilia. Ergo sensus communis facultas sentiens esse debet.

73. Idem ex eo confirmatur, quod bruta sensationes suas, harumque differentias percipiunt, alioquin utilia sectari, et a noxiis abhorreere non possent. Atqui bruta intellectu carent. Ergo cognoscere sensationes, earumque differentias est facultatis sentiens, non intellectivae.

74. Obiic. Sensus communis ipsas sensationes apprehendere non potest, nisi actionem reflexam exercent. Atqui reflexio ad facultatem intellectivam pertinet. Ergo sensus communis non est facultas sentiens.

75. Resp., *Neg. mai.*, *conc. min.*, *neg. cons.* Sane actio reflexa exercetur ab illa facultate, quae operationes suas cogno-

scit. Atqui sensus communis non cognoscit operationes suas, sed operationes sensuum exteriorum. Ergo actio, quam sensus communis exercet, est directa, non reflexa.

76. Circa huius facultatis obiectum, naturam, et modum, quo ipsa actiones suas exercet, haec adnotanda sunt:

1° Sensus communis eo ipso, quod sensationes sensuum propriorum, sive exteriorum, earumque differentias sentit, ipsa obiecta sensilia percipit, quia sensationes ab obiectis suis seiunctae esse nequeunt, et ipsae sunt diversae, prout ad diversa obiecta referuntur; si ergo sensus communis percipit sensationes, earumque diversitatem, diversa etiam sensationum obiecta sentire debet. Quapropter duplex obiectum sensus communis distinguitur, unum *proprium* et *directum*, nempe sensationes, quae per sensus externos habentur, et earum differentiae; alterum *indirectum*, et *secundarium*, nempe obiecta sensuum propriorum ¹.

2° Cum sensus communis sit facultas sentiens, organum sui proprium in corpore habere debet. Hoc organum vocatur sensorium commune, et est *encephalum*, sive, ut aiunt, *systema cerebro-spinale*, quod cum organo sensuum propriorum per systema nervorum coniungitur; unde fit, ut sensus communis, qui illi alligatur, affectiones sensuum propriorum excipiat, et cognoscat.

3° Haec facultas dicitur *sensus communis*, eiusque organum *sensorium commune*, quia est velut *centrum* sensuum propriorum ². Scilicet, sicut centrum est principium, a quo proficiscuntur, et terminus, ad quem lineae deferuntur; ita sensus communis est principium, sive *radix*, vel *fontis*, a quo vis sentiendi transfunditur in organa sensuum propriorum, et est terminus, ad quem affectiones sensuum propriorum deferuntur ³. Quocirca diversae sensilium species per sensus proprios, tamquam per diversa *instrumenta* ⁴ sensus communis, a nobis percipiuntur.

¹ Cf s. Aug., *De lib. arb.*, lib. II, c. 4, n. 10; et s. Thom., *Contr. Gent.*, lib. II, c. 74.

² Cf s. Thom., *Quodlib.* VII, q. I, a. 2 c.

³ In *lib. III De An.*, lect. III. Cf s. Aug., *De Gen. ad litt.*, lib. XII, c. 16, n. 32, et *De lib. arb.*, lib. II, c. 3.

⁴ *Qq. dispp.*, q. un. *De An.*, a. 10 ad 11.

4° Exinde pronum est intelligere, quomodo sensus communis percipiat sensationes sensuum propriorum, earumque differentias. Prout enim est fontis, ex quo sensus proprii vim sentiendi hauriunt, ad diversas horum sensationes efficiendas concurrunt; et prout est terminus, ad quem sensuum propriorum affectiones deferuntur, has omnes in se recipit. Quod si sensus communis ad sensationes efficiendas concurrat, easque omnes in se recipit, ipse omnium sensuum propriorum sensationes apprehendit, et quia hae sensationes sunt diversae, sensus communis eo ipso, quod simul illas excipit, earum differentias cognoscit ⁴.

ART. VIII. De Phantasia

77. *Phantasiae*, sive *imaginationis* nomine a Philosophis illa facultas donata est, qua anima rerum sensilium iam apprehensarum imagines retinere, et sibi repraesentare potest ². Quod si anima per phantasia percipit imaginem rei, non rem ipsam, opus ei non est praesentia rei, ut istam imaginetur; quare per phantasia res tum etiam imaginamur, cum hae a sensibus remotae sunt, dum e contrario sensibus propriis, et sensu communi res non apprehendimus, nisi hae nobis adsint, quia per istas facultates res ipsas cognoscimus.

78. Prop. 1°. *Phantasia est facultas sentiens.*

Probat. Facultas, quae circa res sensiles versatur, quae in statu somni exercetur, et quae in belluis etiam inest, non est intellectrix, sed sentiens; quia res sensiles sunt obiectum sensus; in statu somni autem intellectus proprie non exercetur; belluae denique intellectu carent. Atqui certum est nos sensilia imaginari, praeterea res imaginari non solum cum vigilamus, sed etiam cum dormimus, denique non modo homines, sed etiam belluas vi imaginandi pollere, nam hae, nisi vi pollerent sibi repraesentandi res sensiles a sensibus suis remotas, non possent ea inquirere, quae vitae suae accommodata sunt, nec ea vitare, quae ipsis obsunt. Ergo facultas imaginandi non est intellectrix, sed sentiens.

79. Quoniam autem phantasia est facultas sentiens, consequitur ipsam esse facultatem organicam, quae nempe per aliquod orga-

¹ Cf s. Bonav., *Compend. theol. ver.*, lib. II, c. 36.

² Cf s. Thom., 1^a 2^{ae}, q. XV, a. 1 c.